



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**De Rebus Iaponicis, Indicis, Et Pervanis Epistolæ
Recentiores**

Hay, John

Antverpiae, 1605

Residentias Boholana.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61204](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61204)

addebat se in tota noua Hispania nihil deprehendisse simile. Ac conuersus ad nostros, subiciebat eos sua sorte meritò debere esse contentos, quòd in his locis verbum Dei disseminandi prouinciam suscepissent, existimare enim se eos versari in parte mundi optima ac Deo gratissima, ex qua laborum suorum fructum colligere possint amplissimum.

In ædibus nostris hoc anno principium datum est disciplinæ, magno pœnitentium numero & populi deuotione. Conciones item habitæ, cum Christiana Catechesi ad militum custodias, fructu singulari.

Accesserat Pater quidam egrotum Indum iam loquendi facultate destitutum, nec tamē confessum, vt eum ad piè moriendum hortaretur. Monet itaque vt conetur saltem nomen I E S V S pronuntiare. Obsequitur æger, obscure enuntiant, sic tamen vt vix exaudiri posset. Pergit pater instare, vt clariùs proferat. Profert modico conatu clarissimè: integre confitetur, & postera luce incolumis è lecto exiit.

P. Michaël Gomez ad gentem quandam longiùs distitã profectus cum primis operam dedit, vt expiscaretur eorum nomina, qui nondum sacris baptismi aquis abluti essent: & adducti ad eū sunt sexaginta, præter nonnullos alios, qui vocantur Visai: quibus omnibus, cum satis idolorum vanitatem Christianorumque dogmatum veritatem demonstrasset, impertiit baptismum cum tanta ipsorum, licet senes essent, consolatione, vt omnes obstupescerent. Sed necdum diluxerat, cum ecce aliquot alii & ætate longè prouecti viri & mulieres operiuntur ad domus nostræ ianuam, vt eodem sacramento initiarentur. Initiati autem sunt sexaginta cum senis infantibus, è quibus primarius loci, qui sexagesimum vitæ annum iam excefferat.

RESIDENTIA BOHOLANA.

Hæc residentia superiori Zebuanae subiecta est. Fructum ex ea collectum P. V. ex epistola P. Valetii Ledesmae hinc subiecta cognoscet. Ex mandato, inquit, R. T. Insulam Bohol inuisi, ac primùm quidem operam dedi vt populum vadique dispersum in vnum cogerem locum. Multa pacis media inggessi, rationes efficaces proposui, ac tadè effeci, vt mille homines, quorū magna pars inter arma erat educata, desertis montib⁹, è quibus extrahi antè nō poterant, confluarent. Conati sumus & plures montium incolas feritate barbaros, qui nullū mortalium præter

præter Patres nostros vnquam conspexerant, omnibus humilitatis officiis blanditiisque eorum naturæ consentaneis elicere, & impetrauimus. Sedes eis assignauimus iuxta flumen, vbi iam Ecclesiam exædificauerunt, ad quam Dominicis diebus conueniant. Baptizauimus viginti supra centum eorum filios, eoq; amplius adultiores non solum iam feritatem omnem deposuerunt, verè etiam magno ardore baptismum efflagitant, cantillant, & nocte diuque doctrinam Christianam recitant.

Die sanctæ Annæ, cui Ecclesia dedicata est, sacro, conuersione cuiusdam primatii senis, qui censeretur quasi Pater omnium, initium datum est conuersioni cæterorum. Hic enim flexis genibus à me infans precibus postulauit sibi dari copiam sancti lacuum quo exemplo tantopere confirmati sunt in proposito, qui iam ad baptismum erant parati, aliiq; de nouo incitati sunt ad eum petendum, vt plures quàm centum, alii post alium, supplices baptismum postularent. In Vifalia adultos octoginta nouem vniue baptizauimus, & paucis post diebus 94, partim pueros partim adultos, & alio die reliquos omnes loci indigenas. Hinc digressi, post montem vnum superatum, Dominus pro lacto spiritali obtulit viginti nouem puerulos, qui Angelorum speciem referre videbantur, & aquis piacularibus in nomine sanctæ Trinitatis eos aspersimus, vnà cum tribus adultis, quos mecum duxeram, vt sacrificium Missæ audirent, verboq; & exemplo accuratius in fide Christiana instruerentur. Longius deinde progressi venimus ad viculum quendam, in quo indigenæ commodam quandam Ecclesiam in nostrum aduentum, denorum cubitorum spacio porticam, excitauerunt. Hic rete nostrum, vel potius Christi, expandere cepimus, & attraximus quicquid ibi piscium erat: nam præcipui quique viri & mulieres, senes & iuuenes, parui & magi ad pedes Christi Iesu se abiecere, agnoscentes eum verum Deum, & baptismi mysterio ei per fidem coniungi ardentè exoptantes. Acque hic cognoscere cepi beneficium a Deo mihi præstitum, quòd me ex Hispania in has horas euocarit. potuit enim vel hoc vnum euocare exemplum. Prima igitur vice baptismi sacris lacibus cetera capita tinximus, altera verò reliquos omnes, nullo excepto.

Cum n aliquando homini agresti & barbaro summam paradisi gloriam dirasque inferni pœnas exponerem, respondit, haud sciscus ac si à dæmone esset obsessus, se malle ad infernum quàm ad paradysum concedere. Et quia erat vnus è præcipuis illius loci incolis, plurimos in eandem obstinati animi sententiam pertraxerat.

Ego

Ego verò non dubitavi iteratò aggredi absurdum hominem, & atrocitatem aternitatemque tormentorù magna verborum vehementia ei inculcaui, sed respondit, sibi certum, eò potius post hanc vitam migrandum, quò sui parentes, aui, ceterique maiores peruenissent, quàm aliò. Tum ego subiunxi, probaret saltem vim ignis, ille verò manibus suis æquè ac cor induratis non dubitauit prunas accensas è foculo arripere. Verùm paucis post diebus, mente diuinitus mutata, excurrens in campos & agros, omnes suos ciues conuocatos tanto studio impulit, vt Christiana sacra susceperent, vt parem inter Visainos non haberent.

In alia epistola, ad P. Visitatorem ab eodem data, idem P. Valerius scribit, sibi ab alio quodam Patre scriptum, ipsum plusquam 400 capita in Lobo & Dita, maximè infantium, sanctissimis aquis perfudisse: ita vt trium mensium interuallò plusquam mille eodè sacramento initiati sint, & innumerabiles alii supersint eodè desiderio flagrantes. Quare aiunt nostri iam tempus pro illa Insula luanda aduenisse, & operarios cupidè præstolantur.

At clarius istarum missionum in Bohol fructum perspicier V. P. ex litteris P. Gabrielis Sancez, & P. Christophori Ximenez, illi missioni destinatorum. In vnis Octobri mensè datis ita scribit P. Gabriel: Dominus noster nostris conatibus laboribusque singulariter benedixit. Nam postquam gentilium greges in vnum locum conuenere, tam seriò, omni fictione exclusa, ad Deum conuersi sunt, vt aliud affirmare nequeam, quam Dominum eorum conditorem & redemptorem illos peculiari quodam beneficio vocatõnis voluisse in suum gregem adsciscere, siquidem intra biennos menses bis mille mortales se Christi legibus & institutis, suscepto baptismo, subdiderunt. Meaque opinio est, si præstò sint aliqui Patres, totam Insulam breui iugum Christi complexuram. Dicit non potest, qua voluptate spiritali afficiat, dum video homines panè siluestres è montibus erumpentes supplices baptismi postulare gratiam: pueros verò ipsorum, angelis per similes, nescio a quo doctos, iam Christianam resonare doctrinam. Certè proximis superioribus diebus me adit quidam Catecheseos non ignarus, quem à decennio non videram, ac magna contentione petit, ne sibi negarem baptismum. Veniunt & Caraloni, vel Idolotum sacrifici, totque argumentis declarant se ex animo desiderare baptismum, vt necesse fuerit eorum votis facere satis. Verè mihi pater, solatiis affluo, gaudio exulto, nec in hac terra aliud mihi propositum est, quam Domino Deo toto pectore inseruire, optareque vt omnes ad suam diuinam maiestatem conuertantur. Do-

minico die in Ecclesia, vt alias, numerata sunt capita septingenta. Si R. T. ante occasum solis cerneret centenos pueros puellasque montanas recens Christo aggregatas ad ripam fluminis processionis forma collaudantes Deum, & doctrinam Christianam concinentes, non posset non præ gaudio colliquescere in lacrymas. Paucis antè diebus in Dita quingenti sacro baptismo sunt iustrati. Itaque in toto tractu Boholano facilè nunc numeramus ter mille Christianos. Initio tantùm erant octingenti, nunc accessu nouæ benedictionis Dominicæ per baptismum accessere bis mille trecenti.

De alia breui missione, à quodam Sacerdote facta, scribit idem Pater hæc: Deus hanc gentem Tobigon tot caelestibus orat & locupletat donis, vt non audeam hinc discedere, & prosperum successum solum abrumpere. Ecclesia conferta est hominibus matutinis horis & vespertinis; nullus de victu sollicitus est, licet indigeant, aut longè adferre debeant. Omnis eorùm cura est, vt Christiani sint, & baptismo initientur. His quindecim diebus, quibus rudimentis Christianæ fidei eos instruximus, baptizati sunt quinquaginta adulti supra ducentos. Superfunt autem Catechumini 40, nam reliqui baptizabuntur post reditum.

Senex quidam primarius & honoratus, hæcenus obstinatus, tandem indicauit mihi se paratum submittere caput baptismi. Canus totus est & decrepitus, vt vix voeem in verba conformare possit. Et cum ipse ad Ecclesiam venire nequeat, eius ædes adire cogor. Baptizabo eum cum alio quodam ætate prouecto quam primum; videtur enim mihi non exiguum prædestinationis argumentum, vtrumque tam diu expectasse, & nunc primùm tanto ardere baptismi desiderio.

De alia quadam missione scribit P. Gabriel Sancez, Archidiaconum Zebuanum, & beneficiatum in Tana, profectum in Boholanam insulam xii. leucis distantem, vt a Superiore nostro Patrem aliquem impetraret idiomatis peritum, qui sua genti Evangelium annunciat. Missus est P. Gabriel, qui vno mense quadringentas audiuit exomologeses, & multis sacrum Domini corpus porrexit. Baptizauit quoque 80. puerulos & nonnullos grandiusculos. Inductus est ibi mos doctrinam Christianam in vniuersis publicis per pueros ordine compositos cantandi; quod idem fit in Ecclesia cum tanta populi voluptate, vt etiam præcipui è gente parum honorificum sibi existiment, si non in eadem doctrina nunquam examinentur.

Coniux præfecti loci Inda lecto affixa, quadam nocte tam gra-

titer laborare cœpit, vt omni loquendi facultate fuerit destituta. Vocatur è Societate Pater, qui eam omnis iam sensus expertem repperit. Et quoniam de peccatis confessa non erat, licet expetiuisset, Pater sacrum Euangelium recitare cœpit, & aqua benedicta cant aspergere, quo facto mox se colligens pronuntiato nomine I E S V, dixit: Miserere mei, & in multorum præsentia postulauit confiteri, deinde non elapsa quartæ horæ parte ita integra & incolumis de lecto surrexit, vt Pater noluerit ei autem præbere, sed iussit postera luce eam cõfiterendi causa prodire in Ecclesiam, quod & factum est.

Idem eidem Patri contigit cum duobus aliis infirmis, quos recitatione Euangelii & lustralis aquæ aspersione restituit & sensibus & incolumitati, sic vt possent peccata confiteri.

Denique diuersis diebus ad pueros duos morti proximis, & loquendi vi priuatos, profectus eodem antidoto Euangelii & sacrae aquæ pristinae sanitati ita ambos restituit, vt etiam aliter repente è strato excussus ad solitos ludos puetiles redierit.

Confessionis audiendæ causa idem & ad alium se contulit à villa leucæ vnus & dimidiatæ interuallo distantem, cui ex infirmitate corpus tam erat debilitatum & fractum, vt attingi non posset, nec ex vno latere in aliud conuerti. Audita eius confessione recitatoque Euangelio discessit feria hebdomadæ sexta. Dominica insequenti, cum Pater seiscitaretur, vt se infirmus haberet, responsum est, esse sanitati restitutum, ac ad insulam quandam profectum, vt ventilatione ad victum necessaria compararet.

N O C T E quadam cum Domini cuiusdam principalis filia Christianæ legis capita decantassent, coniectis è xisto quodam in cælum oculis conspexere crucifixum, aspera quidem sed pulchra in capite insignitum corona, toto autem corpore & pectore, Solis instar fulgentem, & cælum ascendentem, donec ad orbem Lunæ peruenisset. Quod vt peruenit, euauit. Visio hæc tantum lætitiæ conciliauit spectatoribus, quantum mortis attulit absentia. Pater quidam iussit totam rem in Ecclesia coram multis, ab illis ipsis qui viderant, commemorari: licet vt erat gens illa simplex & veterunda magno pudore & metu affecta fuerit in narratione. Postea cognitum est in alio loco duabus leucis disuncto eundem crucifixum apparuisse. Quod

visum eo pluris æstimari debet, quòd euenerit hominibus virtute præstantibus, & in pristina sanctè viuendi consuetudine perseverantibus.

RESIDENTIA SAMARENSIS.

Quoniam huius Insulæ indigenæ sparsi sunt secundum sinum & tractum maris, necesse fuit sex è Patribus maiore anni parte ad excolendam illam cum fructu, quantum ex talibus missionibus expectari potest, amandare. Ex literis autem nostrorum cognouimus, gentem huius Insulæ maritimam cepisse nomen dare Christianæ religioni, ac præcipuos quosque iam esse baptismate facto expiatis. Residentiæ huic incumbunt visenda quatuordecim loca. Hoc anno sexcenti octoginta supra ter mille homines, & maximam partem adulti, Christi sponsæ per sacrum lauacrum adiuncti sunt. In quadam exigua Insula, quæ à biennio visitata non fuerat, tanto desiderio duo è nostris in missionem eò ablegati à tota gente excepti sunt, ut inde à maris ora usque ad loci Ecclesiam omnes vias exornarint virentibus ramis, deinde à puerorù puellarùq; cœtu doctrinã Christianã festis vobus occinente ritu processionis in Ecclesiam deducti. Et cum nostri exposcerent nomina in schedam conjici eorum, qui baptismi suscipiendi cupiditate tenerentur: responderunt, nihil opus esse scheda, omnes velle fieri Christianos. Senes, qui cæterorum solent cæteris esse obstinatior, ægreque Christianam doctrinam addiscunt, non aliam rationem postulati à se baptismi afferbāt, quàm quòd senectus parum diuturnam illis vitam promitteret. Itaque omnes diuina gratia filii Dei facti sunt, & vitæ æternæ hæredes.

Horum Christo aggregatorum fama mox permota sunt & alię insulæ ad expetendum Patres nostros: in quarum vna intra dies quindecim desertis infidelitatis tenebris lucem Euangelicam aspexere per baptismum centum sexaginta adulti, & quinque pueruli, cum vna anu centum triginta annorum, iam cæca, & surdastra, imò immota, quocunque enim deportabatur, manebat instar saxi immobilis. Aliis in locis deinde baptizati sunt adulti quingenti, & duo infantes. Alia rursus missione, triu mensium interuallo, baptizati sunt triginta septem supra octingentos, ac concubinæ plurimis erepræ. Sed & aliis in locis alii multi eisdem aquis tincti sunt, omnesque numerù in vniuersum conficiuntur millium sexcentorum octoginta capitum.

RESI-